



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

656 Epistolarum Innocentij III.

Capellis, pertinentiis, & appendiciis suis, necnon & alia bona vestra, sicut ea iuste ac pacifice possidetis, vobis & per vos domui Hospitalis auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communitimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. usque incursum. Datum Signia XII. Kalend. Augusti, pontificatus nostri anno decimoquinto.

IOANNI REDOSTONENSI Episcopo.

Epist. 134. De Graeco Episcopo ad Ecclesiam unitatem reverso.

CVm ad obedientiam sacrosanctae Romanae Ecclesiae redieris, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, auctoritate tibi praesentium indulgemus ut in apostolica sedis devotione persistens, illa gaudeas libertate qua gaudent Latini Episcopi Romaniae, illamque iurisdictionem in subditos tuos obtineas quam & ipsi in diocesis suis habent. Nulli ergo &c. concessionis &c. usque incursum. Datum Signia XI. Idus Iulij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

E I D E M.

Epist. 135. De Graecos horretur ad unitatem Ecclesiae.

CVm ad obedientiam apostolicae sedis redieris, ut quod audisti alij dicas Veni, & trahas quasi cortina cortinam, fraternitati tuae praesentium auctoritate mandamus quatinus coepiscopos tuos necnon monachos & Clericos Graecos, ut ad obedientiam sedis apostolicae revertantur, exhortationibus sedulis efficaciter moneas & prudenter inducas, ita quod diligentia tua clareat in effectu, & gratiam postquam merearis plenius & favorem. Datum Signia XI. Idus Iulij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

BOIANENSI EPISCOPO.

Epist. 136. De quodam instrumento coroso.

SIgnificante venerabili fratre nostro Episcopo Venafrano ad nostram noveris audientiam pervenisse quod Ecclesia sua ignis incendio devastata, ipsius privilegia coactus est aliis deponere conservanda: inter quae privilegium quoddam, quod inter Ecclesiam Venafranam & Hospitalarios civitatis eiusdem compositionis & pacis foedera continebat, repertum est ex conservatorum incautela corrosum. Vnde quia ex ipsius abolitione magnum posset Ecclesiae Venafranae dispendium provenire, ac nonnulli, qui dum idem conderetur privilegium interfuerant, dictos Hospitalarios simile habere privilegium asseverent, nobis humiliter supplicavit ut inducere dictos Hospitalarios ad exhibendum idem

privilegium dignaremur. Volentes igitur Ecclesiae Venafranae dispendiis praecavere, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatinus Hospitalarios antedictos ad praefatum privilegium exhibendum, secundum quod Ecclesiae antedictae privilegium reformetur, moneas efficaciter & inducas. Alioquin depositiones praedictorum testium audiens, efficias & procures ut eorum dicta in scripturam publicam ad perpetuam memoriam redigantur. Datum Signia XIII. Kal. Augusti, pontificatus nostri anno decimoquinto.

BERNARDO PRIMO ET fratribus eius.

NE quis de cetero vestrum valeat calumniari propositum, sicut olim diligenter examinavimus fidem vestram, ita nunc conversationem vestram prudenter investigare curavimus, & utramque litteris apostolicis fecimus comprehendi, ut illas in testimonium habeatis. Conversationis ergo vestrae propositum tale est. IN NOMINE patris & filij & spiritus sancti & beatissimae semper virginis Mariae, ad adificationem universalis sanctae Dei Ecclesiae, & ad salutem animarum nostrarum & omnium ad quorum aures pervenerit. Sicut fideliter credimus corde, fidem catholicam per omnia & in omnibus integram & inviolatam, quemadmodum in litteris nostrae examinationis expressum est, ore firmiter confiteri & nuntiare & praedicare prosumus & usque ad animam & sanguinem adversus omnes sectas haeresum defendere viriliter promissimus, consistentes sub magisterio & regimine unius & veri magistri Domini nostri Iesu Christi ac pissimi Vicarij eius Papae Innocentij & successorum eius, semper permanentes tam corpore quam spiritu in communione sanctae Romanae ac universalis Ecclesiae, quam sanctam & catholicam & apostolicam semper & ubique confitemur & praedicamus, extra quam neminem salvari fatemur. Sed quia fides sine operibus mortua est, seculo abrenuntiavimus, & quae habebamus, velut a Domino consultum est, pauperibus erogavimus, & pauperes esse decrevimus, ita quod solliciti esse de crastino non curamus, nec aurum vel argentum vel aliquid tale, praeter vestimentum & victum quotidianum, a quoquam accepturi sumus. Consilia quoque evangelica velut praecipua servare proposuimus. Et quamquam officium nostrum sit praecipue ut omnes dicant scripturas sacras & omnes idonei exhortentur,